

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Joachim Stockmann

**Programma, Quo Ad Solennem Nativitatis & incarnationis memoriam Salvatoris  
Nostri Jesu Christi, Devote & pie recolendam Cives Academicci admonentur**

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811969>

Druck    Freier  Zugang



R.U. Progr. 1643

1) Joachim Schnobel

2)

3) Heinr. Rabe

4) Joach. Stockmann



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734811969/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811969/phys_0002)

DFG

4

PROGRAMMA,  
Quo  
Ad  
Solennem Nativitatis & incarna-  
tionis memoriam.

**SALVATO-**  
**RIS NOSTRI**  
**JESU CHRISTI,**

*Devotè & pie recolendam Cives Academici  
admonentur.*

P.P.  
RECTORE  
**JOACHIMO**  
**STOCKMANNO,**  
Med.D. & P.P.



ROSTOCHIL,

*Typis NICOLAI KILI, Academie Typographi.  
ANNO M. D. C. XLIII.*



Mmensa sunt, quæ ab omnium Bonorū fonte ac origine in miseros nos Mortales abunde semper profluxerunt Beneficia, & indies ab hac profluunt, tanta copia, ut nemo sit qui vel minimam eorum partem mente comprehendere, nedum verbis eloqui possit, etiamsi ora illi centum, & omnes in universum dentur voces

*Quaecunq<sub>z</sub>, liquentibus auris  
Concipiunt faciles variis accentibus ortus.*

Nescio a. an inter Innumera quæ sunt elemētissimi Dei beneficia, ullum majus sit, quam quod unigenitū suum filium, deploratā & ferē deperdita omni salute, salutis redemptorē & restauratorē Mundo nasci voluerit. Cujus Natalitia hodie recolimus & celebram<sup>o</sup>, *at Cujus?* Ejus ne? qui ē semper, nunquā nō fuit, nūquā non erit, qui fuit, antequā esset, & natus est, antequā nasceretur, ἀχερον, ἄραξ, geminę gigas substantię, homo de Matre, Deus de patre, de

A 2

patre

patre sine Matre, de Matre sine Patre, & ita in  
cœlis ἀνέτωε in terris ἀμήτωε. Vera DEI soboles  
& Davidis progenies. At Quanta Natalitia?  
Quantis suspirijs V. T. patribus ac prophetis  
desiderata, quot votis expetita? Unde illud:  
Rorate cœli, & nubes pluant justitiam, aperi-  
antur Terræ & producant Salvatorem. Quot  
Typis prænuntiata? Quot miraculis declara-  
ta? Nato Mithridate insolita magno splendore  
apparuit stella, Nato nostro rege, ipsum solem  
aureus ambire visus est circulus, præterquam  
quod & hic novum illuxerit *prævium Magis Lumen*. Nato Alexandro Magno Dia-  
næ delubrum conflagravit, Nato nostro  
Ιανθίνῳ. Heroe, Templa Deastrorum omnia  
con siderunt & oracula miraculose obmu-  
tuerunt. Qua de re ex Porphyrio noti sunt  
versus

οἱ οἱ μοι τείποδες σεναχήσατε, οἵχετ' ἀπόλλων  
οἵχετ', επὶ τὸ φλεγον με βιάζεται ψεύτιον φῶς.

Et Notabile admodum Augusto, cum de suc-  
cessore Apollinem interrogaret, datum re-  
sponsum.

πᾶς εἰρῆσθαι κέλεται με θεοῖς μηκόρεστιν ἀνάστων  
Τὸν δὲ δόμον περιτταῖν τὴν αἴδην αὐτις ἕκεδω,  
λειπὼν ἀπὸ τοιῶν τὸ βώμαν ἡμετερέων.

Et quod Oribasius Medicus retulit, ab aposto-  
ta

ta Juliano ad restorationem Oraculi Delphi-  
ci missus.

*Corruit artifici vario constructa labore  
Cortina,*

Quæ omnia ut & multa alia licet nostri  
Salvatoris Nativitatē comitata & subsecuta  
sint miracula, super omne tamen miraculum  
est res ipsa, *Verbum caro factum est*, cuius my-  
sterij tanta est & tam imperscrutabilis profun-  
ditas, ut ipsi etiam angeli eō intropicere  
gaudeant, propterea quod divinæ sapientiæ,  
& justitiæ & misericordiæ thesauri hic invi-  
cem absconditi, nihilominus integro splen-  
dore eluceant singuli. Quare non immer-  
to exclamamus, ô Diem, quo talia contige-  
runt, æternum honorabilem! festum & ju-  
bilæum! Siculi Timoleontis Natalem quo-  
tannis festum egerunt, quod, quo mater il-  
lum, eodem ille die, ijs sæpius peperisset vi-  
ctoriam. Quidni & hic festus & jubilæus sit  
dies, quo sua Nativitate, cladem, quam in Pa-  
radiso perpessi erant nostri Majores, gloriofis-  
sima victoria vindicavit cœlitus adveniens  
JESUS CHRISTUS. Sed quid festivita-  
tis, quid honoris, quid laudis, persolvemus illi  
qui omnem honorem & laudem excedit, im-

A 3

mensus

mensus Deus? Teutones, referente Tacito,  
nullum Deo templum statuerunt aut erexerunt aram, quod injurium putarent & abhorrensā, magnitudine divinā includi parietibus.  
Ægyptij sacerdotes in Hieroglyphicis Ciconiæ & Crocodyli tanquam Elingvium animalium pictura divinam Majestatem adumbabant, Eoq; ipso innuebant, de rebus divinis & sublimibus multa verba facere supervacaneū esse. Quid igitur? an Harpocratis effigie moniti admoto digito os consignabimus, ac prorsus tacebimus, nec ullo factō nostra redhostimenta ostendemus? absit à Nobis Christianis tanta ingratitudo, cui nefando vitione nomen quidem facere voluerunt Romani, ut quod inter homines existere nō debebat, nec audiretur inter homines. Quin potius si opimas hostias & victimas offerre non possumus, thure & libis gratam mentem declaremus, si dignis laudum præconijs infinita nostri Emmanuelis merita prosequi non possumus, prosequamur ut possumus, & quanto possumus conatu, id agamus, ne ijs Indigni habeamur; Quod fiet, si quantis miseriis immersi, quanta captivitate detenti fuerimus, cum timore & tremore recordemur, si devoto corde pioq; affectu, nostrum redemptorem excipiamus

piamus & colamus, si pretiosissimum illud  
lytron, quod in se ipso, redimendæ nostræ sa-  
lutis causa, persolvit, grato animo agnosca-  
mus, ac justa lance ponderemus, & æstime-  
mus. Si seriâ pænitentia cum veteri veteris  
Adami exuvias abjiciam⁹, & novo cum anno  
novum induamus hominem. Gentilium An-  
tistites sacra facturi inq̄s inq̄s estē BéBηλε procla-  
mabāt, procul hinc, procul est profani. At qui  
sublimiora nulla sunt sacra, quam hodierna  
Genethliaca, quare & hinc procul sint & hisce  
sacris penitus absint, quomodo cunq; ea pro-  
fanaturi. Non reperiantur qui vel proterve  
contemta, vel imprudenter neglecta summā  
huic festo debita religione, in diem vivere, ut  
consverunt, ita & perrecturi sunt. Non  
reperiantur qui publicis concionib. destina-  
tas horas chartæ, aleæ, compotationibus, im-  
pendant, & hoc ipso tempore, quo præcinen-  
te Angelorum choro, illud **G L O R I A I N**  
**E X C E L S I S** ingeminari par erat, stentoriis  
& Cyclopicis clamoribus & belluinis boati-  
bus fora & plateas implent, quibus omnibus  
meliorem mentem precamur & graves ani-  
madversiones denuntiamus; porro **D E U M**  
submissè invocamus, ut quas Patulcius nef-  
cio

cio quis, à tot annis apertas tenuit, sive Jani  
sive Martis fores, nova subinde bella effun-  
dentes, potenti sua dextera claudat, & pa-  
cem rerum omnium, quas homini novisse da-  
tum est, optimam & desideratissimam affli-  
ctissimæ Germaniæ totiq; orbi clementer &  
benigne restituat. P. P. sub sigillo Univer-  
sitatis Rostochiensis, Anno 1643.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734811969/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811969/phys_0011)

DFG




Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn734811969/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734811969/phys_0012)

DFG

piamus & colamus, si p̄e  
lytron, quod in se ipso, redi  
lutis causa, persolvit, grat  
mus, ac justa lance ponder  
mus. Si seriā p̄enitentia cu  
Adami exuvias abjiciam⁹, &  
novum induamus hominem  
tistites sacra facturi ēḡs ēḡs  
mabāt, procul hinc, procul e  
sublimiora nulla sunt sacra,  
Genethliaca, quare & hinc p  
sacris penitus absint, quomo  
fanaturi. Non reperiantur  
contemta, vel imprudenter  
huic festo debita religione, ir  
consverunt, ita & perre  
reperiantur qui publicis con  
tas horas chartæ, aleæ, comp  
pendant, & hoc ipso tempore  
te Angelorum choro, illud C  
EX CEL SIS ingeminari pa  
& Cyclopicis clamoribus &  
bus fora & plateas implent, q  
meliorem mentem precamu  
madversiones denuntiamus;  
submissè invocamus, ut quas



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. \_\_\_\_\_  
Patch Reference numbers on UTT